



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectae

**Sandini, Antonio**

**Bambergae, 1753**

XXXVIII. S. Felix II. Anno Christi. 335. Constantii Imperat. 19.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65446](#)

tamen fides antiqua pepererat, multis paucorum fraude deceptis, heretico Imperatore Constantio labefactare tentavit. Vide Baronium ad an. 359. Petavium tom. 2. Theologic. Dogmat. lib. 4. cap. 5. §. 4. & Nat. Alexandrum in Hist. Eccl. sec. IV. dissertat. 33.

(4) S. Ambrosius initio libri 3. De Virginibus recitat sermonem *beatæ memoriae Liberii* habitum in Aede S. Petri die natali Christi Domini ad ipsius Ambrosii sacerdotem Marcellinam, *cum virginitatis professionem vestis quoque mutatione signaret*. Monachi Congregationis S. Mauri in hunc Ambrosii locum: *Liberii nomen in additionibus ad Usuardum, Bedæ Mariologio, nec non in eo, quod à Vandelberto versibus scriptum tom. 5. Spicilegii editum est, in Sanctorum albo describitur.*

### XXXVIII.

## S. FELIX II. ANNO CHRISTI. 355. CONSTANTII IMPERAT. 19.

**I**N locum Liberii exulis anno 355. Bar. ad subiectus est fidelis ejus Diaconus an. 355. nomine Felix, qui à tribus Arianiis §. 55. 56. Pag. Episcopis in ordinatione manus impositionis 3. nem accepit. (1) Fuit ex eorum du-

me.

mero, qui præsente populo Romano sub  
jurejurando firmaverunt, se vivente Li-  
berio Pontificem alterum nullatenus ha-  
bituros. (2) Eundem ajunt Fidei Con-  
cili Nicæni perpetuò adhessisse, & quod  
ad religionem pertinet, omni prorsus re-  
prehensione caruisse, Unum vero illud in  
eo esse reprehensum, quod etiam ante or-  
dinationem communione cum hereticis  
sociatus fuisset. (3) Quo factum, ut in  
Ecclesiam, dum intus esset, nemo Civi-  
um Romanorum sit ingressus. (4) Ter-  
tio anno exilii Romam redit Liberius,  
cui obvians cum gaudio populus Romanus  
exivit; Felix notatus à Senatu vel po-  
pulo de Urbe propellitur, & post parum  
temporis impulsu clericorum, qui pejera-  
verant, irrumpit in Urbem, & statio-  
nem in Julii Basilica trans Tiberim da-  
re præsumit: quem omnis multitudo fide-  
lium & proceres de Urbe iterum cum  
magno dedecore projecerunt. (5) Et Im-  
perator, licet invitus, assensum illis  
præbuit. (6) Itaque Felix recedens in  
alia Civitate sedem fixit. (7) Post hac  
vero cum supervixisset modico tempore, Bar. an.  
(8) seu annos octo, X. Kalendarum 357. §.  
Decembrium die defunctus est (9) an 59. Pag.  
no Christi 365. (10)

K 2

AN-

## ANNOTATIONES.

(1) Socrates lib. 2. cap. 37. *Nonnulli tamen affirmant, illum opinionem Ariana-  
nam minimè amplexum esse, sed vi ac  
necessitate compulsum ordinationem sus-  
cepisse.*

(2) Præfatio in Marcellini & Faustini Libellum precum ad Imperatores apud Sir-  
mondum tom. 1. pag. 137. edit. Venetæ.

(3) Sozomenus lib. 4. cap. 11.

(4) Theodoretus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 14

(5) Præfatio memorata.

(6) Socrates lib. 2. cap. 37.

(7) Theodoretus loc. cit.

(8) Sozomenus lib. 4. cap. 15.

(9) Præfatio memorata.

(10) Utrum in Pontificibus Felici locus  
sit, ambigitur. Sunt, qui ajunt, congre-  
gasse se *Sacerdotes, & cum consilio Li-  
berii ordinasse in locum ejus Felicem,*  
ut liber Pontificalis in Liberii vita loqui-  
tur. Alii contra Felicis electioni nec Cle-  
ricum, nec populum consensisse, respondent  
*ex S. Athanasii Historia Ariana ad Mona-  
chos num. 75. pag. 389.* Instant illi, à  
populo duntaxat post Liberii lapsum pro  
Pontifice habitum. Hi à populo ejectum  
reponunt, eique præpositum Liberium re-  
versum ab exilio damnati Athanasii reum,  
& Sirmiensis formulæ subscriptione atque  
Arianorum communione contaminatum.  
Urgent illi, Theodoretum lib. 2 Hist. Eccl.  
cap. 14. Felicem Liberii successorem facere.

A

Athi Theodoreto objiciunt Optatum Milevitani lib. 2. §. 3. & S. Augustinum epist. 53. alias 165. ubi Romanorum Pontificum seriem recensentes nullam faciunt hujus Felicis mentionem. Addunt illi, adhibitum humato Felici titulum: *Hic jacet corpus S. Felicis Pape & Martyris, qui Constantium hereticum damnavit.* repertum anno 1582. Gregorio XIII. Pontifice. Sed hi illam tumuli inscriptionem dubiam esse, nec rem decernere contendunt, quod Marcellinus & Faustinus coœvi & rerum spectatores Felicem *defundatum* simpliciter dicant, sine ulla mentione martyrii, sed Constantium ab hoc Felice damnatum nullus scripsit antiquorum. Ut cunque sit, ejus memoria tanquam *Papæ & Martyris* in Roman. Martyrologio IV. Kal. Augsti colitur atque celebratur. Vide Baronium ad an. 357. §. 59. 61. 63. 67. & ad an. 367. §. 14. Schelstratum in antiquitate Ecclesiæ illustrata tom. 1. dissertat. 2. cap. 9. Nat. Alexandrum in Hist. Eccl. sæc. IV. dissertat. 32. art. 3. Tillemontium annotat. 60. in Historiam Arianorum tom. 6. pag. 778. & annot. 8. ad Gregorium XIII.

## XXXIX.

**S. DAMASUS I.**  
ANNO CHRISTI 367.  
VALENTINIANI ET VALEN-  
TIS IMPERATOR. 4.

K 3

DA-